UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

54. Quis habuit pœnitentiam recitandi septem Psalmos per aliquas sextas Ferias, flexis genibus coram crucifixo, quæritur, an impleverit Pœnitentiam recitandi dictos Psalmos aliquo alio tempore, & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76393

Visual Library

Singulis diebus hoc menſe audias Miſſam, ex benigna interpretatione cenſetur Miſſa debita ex præcepto diebus feſtiuis contentus eſſe, neque enim cenſendus eſt obligare ad audiendum duplex Sacrum diebus feſtiuis, quia eſt graue onus, quod non eſt credendum impoſuiſſe, niſi manifeſtet, ac proinde diebus feſtis vnico Sacro audito ſatisfacies vtrique obligationi. Et ita docet Mercerus *de Sacrament. q.83. artic.4 not.* Caſtrus Palaus *tom.1.tractat.3.diſput.1. punct.19. num.* 4. & Sanchez, quem ego adduxi *in 3.part.tract.6.reſol.86.*

Quæ hic eſt Reſ. antecedens, & ſignãter in §. Ex quibus.

RESOL. LII.

An ſi Confeſſarius, v.g. iniunxit duas Miſſas audire, ſatisfaciat pœnitens, ſi ſimul ex vno loco illas audiat à duobus Sacerdotibus? Ex part.5.tract.14. & Miſc.2.Reſ.71.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 3. Reſ 26. prope finem, & in Reſ.27 § vlt.& in Reſ. 28. prope finem, à verſ Adducunt. & in Reſ. 29. prope finem, à verſ. Poſſe autem. & in alio verſ. eorum annot.

§.1. NEgatiuam ſententiam docet Turrianus *in ſelectis diſp...part.2.diſput.16.dub.7.in fine*, vbi ſic ait: Infertur quòd ſi alicui imponatur à Confeſſario pœnitentia audiendi duas Miſſas, non ſatisfaciet pœnitens, ſi velit duas Miſſas ſimul tempore audire à duobus Sacerdotibus, hoc enim eſſet contra intentionem Confeſſarij, qui communiter intendit in hac pœnitentia imponere pœnitenti onus audiendi duas Miſſas diuerſis temporibus, quod ſatis conſtat ex communi ſenſu Confeſſorum, & pœnitentium. Ita ille, & nouiſſimè Ioannes de Lugo *de Sacram Euchar.diſp.22.ſect.1.n.10.*

Sup.hoc ſup. in Reſ.50. §. Ex quibus & ſignanter in fine, & lege etiam aliam. Reſ & §. eius annot.

2. Sed niſi aliud à Confeſſario iniunctum ſit, vel declaratum, affirmatiuam ſententiam docet Mercerus *de Sacram.quæſt 83.art.4.dub.4.* vbi ſic ait: Notandum eum ſatisfacere præcepto, cui in ſatisfactionem iniunctum à Confeſſario fuerit die feſto Miſſam audire, ſi vnicam audierit, niſi tamen ſecundam audiri Confeſſor expreſsè voluerit, quo caſu eum, qui tenetur duas Miſſas audire, poteſt ſimul audire à duobus Sacerdotibus diuerſis Altaribus. Ita ille, qui citat Maiorem *in 4.diſt.12 quæſt.8.* cui ego addo Villalobos *in ſumma, tom.1. tract. 8. difficultat. 35. num. 12* vbi ſic aſſerit: *Quando el Confeſſor mandò à vno en penitencia que oyeſſe dos Miſſas, dize Azor, que cumplira oyendo las ambas juntas, ſi comodamente lo puede hazer, de vn miſmo lugar, ſi el Confeſſor no declarò otra coſa. Eſta ſentencia me parece probable.* Ita & mihi, ſicuti etiam & Molfeſio *in ſum.tom.1.tr.3 c.17.n.36.* illámque, vt ego alibi notaui, præter Doctores citatos tenet etiam Hurtadus *de Sacr.Miſſæ diſp.5.diſ 4.*

Alibi in omnibus Reſol. not. primæ huius Reſol.

RESOL. LIII.

Quis ex deuotione recitabat ſingulis diebus Officium B. Virginis, qui poſtea habuit pœnitentiam recitandi per annum ſingulis diebus tertiam partem Coronæ eiuſdem Beatæ Virginis, quæſiuit à me, an ſatisfaciat dictæ pœnitentiæ cum recitatione prædicti Officij?

Et quid, ſi pœnitentia ſit medicinalis, præſeruatiua? Ex part.3.tract.4.Reſ.105. aliàs 106.

§.1. NEgatiuam ſententiam docent Lauorius *tr. de indulgen.p.2.c.5.n.49.* Valentia *to.4. diſput.7.q.20.punct.3.* Reginaldus *tom.2. lib.7.c.11.n.125.* Nauarrus *de indulg.not.31.n.20.*& Paludanus *in 4.diſtinct.20.q.4.art.2.*

2. Sed his non obſtantibus, tunc ſupradicto conſulenti oſtendi Bonacinam *de Sacr.diſp.3.q.5.ſect.3. punct.4. num.8.* vbi docet, obligationem pœnitentiæ ceſſare, non ſolùm per indulgentias, verùm etiam per remiſſionem pœnæ alia via obtentam, vt per alia pia opera ſatisfactoria propria ſibi applicata; nam eædem rationes militant in indulgentiis, ac in aliis operibus piis ſatisfactoriis. Ita Bonacina, quæ quidem opinio limitanda eſt, dummodo pœnitentia non ſit medicinalis, & præſeruatiua, ſed tantùm ſatisfactoria, vt erat pœnitentia conſulentis. Et ideo ſupradicta ſententia probabilis tunc mihi, & aliis per conſulentem conſultis, viſa eſt, ſed non videtur à priori recedendum, cùm non poteſt pœnitenti conſtare an per illam recitationem ſatisfaciat pœnæ, quia opus in pœnitentiam iniunctum habet virtutem ſatisfaciendi ex opere operato, qua caret illa Officij recitatio.

RESOL. LIV.

Si quis habuit pœnitentiam recitandi ſeptem Pſalmos per aliquas ſextas Feriæ flexis genibus coram Crucifixo, quæritur, an impleuerit pœnitentiam recitando dictos Pſalmos aliquo alio tempore, & loco ſine illis circumſtantiis? Ex part.3.tr.4.Reſ.55.

§.1. AD hunc reſpondet Vega *in ſumm. tom. 2, cap. 64. caſ. 6.* vbi ſic aſſerit: *Vn Confeſſor dio à vn penitente en penitencia, que tantos viernes delante de vn Crucifixo rezaſſe de rodillas los Pſalmos penitenciales, el no los rezo de rodillas, ni el vierne, ni delante de vn Crucifixo, ſino en otro tiempo, y lugar*; quæritur, an pœnitentiæ ſatisfecerit? Reſpondeo *que aunque le fuera de mayor mirecimiento el cumplirla, como le fue impueſta, que con todo eſſo ſatisfizo. La razon es, porque en la penitencia lo principal es cumplirla, y no la circunſtancia del lugar, ò tiempo en que ſe hà de cumplir, con lo qual ſe puede conſolar à muchos.* Ita Vega.

2. Sed quis poteſt dicere, quòd recitare ſeptem Pſalmos flexis genibus à pœnitentibus, non eſt quid accidentale, ſed ſubſtantiale, facilius enim aliqui recitabunt bis ſeptem Pſalmos, quàm ſemel flexis genibus? Et Confeſſarij, qui talem iniungunt pœnitentiam, ſemper intendunt, vt pœnitentes ſentiant illam corporis afflictionem recitando flexis genibus, quæ quidem videtur res grauis. Ergo, &c.

RESOL. LV.

Si quis fecit pœnitentiã impoſitam à Confeſſario abſque intentione illam adimplendi, imo cum intentione contraria, quæritur, an teneatur illam denuo facere?

Et infertur, quod licet pœnitens non recordetur pœnitentiæ impoſitæ, adhuc ſatisfaciet ieiunando ex deuotione.

Et quid, ſi alicui Confeſſarius impoſuit pro pœnitentia ieiunium, vel eleemoſynam diſiunctim, & ipſe dederit eleemoſynam cum intentione non adimplendi pœnitentiã per illam, ſed ieiunando poſtea, an poſſit adhuc poſtea pœnitens non ieiunare Ex part 6.tract.6. & Miſc.1. Reſol.43.

§.1. IEiunauit. v.g. quis, vel Roſarium B.Virginis recitauit ex deuotione volens ieiunium & Roſarium pro pœnitentia à Confeſſario impoſita poſtea adimplere. Quæritur, an poſſit hoc non obſtante nec ieiunare, nec Roſarium dicere? Et negatiuè reſpondet Vaſquez *opuſc.de Beneficiis, cap.4 §.1.artic.3. dub.7. n.117.* quia licèt ad ſatisfaciendum præceptis & legibus ſufficiat ponere opus præceptum, licèt non adſit intentio